

quidem erant magnopere deminutæ, stipendium a quæstoribus curatum. pensioque annua, quam Senatus ultra stipendiorum nomen Citolo dederat, ut ea, quoad viveret, frueretur, etiam aucta. quas ad res atque sumptus quo fisci debitoribus facilius solutio fieret, Senatus jussit, ut qui ex iis aurum aut argentum cælatum, quod plerique sibi comparant, aut a maioribus comparatum domi habent, ad duumviros numis cūdendis intra dies **XXV.** attulissent, id eis aurum argentum ve cum lucro partis decimæ acceptum referretur: qui duumviris neque aurum neque argentum dedissent, neque pecuniam numeratam curavissent, eorum bona, etiam si fideicommissa essent, vendi per magistratus oportere, iis exceptis bonis, quæ dotium nomine mulieribus deberentur. easque venditiones ratas & firmas haberi oportere, neque ullis posse legibus infirmari, Senatusconsulto additum. Pauloque post, quod Patribus constabat cives plerosque ex iis, quibus ampla res esset, adduci tamen non posse, ut in ærarium conferrent, quod nulla suæ patriæ charitate, nullo reipublicæ amore tenerentur, decemvirī suis ministris mandaverunt, ut illos prius ea de re admonitos, si post dies octo nihil contulissent, captos in carcerem contruderent: quod si se occultavissent, ab eorum domibus rem familiarem abriperent, magistratibusque traderent distrahendam. quæ duæ quidem res uti publice juberentur, ante id tempus nunquam acciderat. Vicetina quidem civitas, reipublicæ difficultatibus permota, sponte sua vicens auri libras dono in ærarium contulit.

Quoniam autem & legati non semel ad Senatum scripserant, egere imperatoris reipublicæ exercitum: sine eo, qui summæ rei præsit, omnes indiligentiores & dissolutiores quotidie fieri, & ipsi per se Patres singulis horis ea de re admonebantur: sæpe cum essent inter se magistratus colloquuti, magna eos ambiguitas hæsitatioque diu tenuit. nam quod ex præfectis reipublicæ plures parem fere honoris locum obtinebant, existimabant Patres, in potiore adipiscendo loco alterum sibi præferri neminem eorum satis æquo animo laturum.

Varia Senatus consilia de imperatore copiarum eligendo.